



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXIX. De Contractu dotali inter Conjuges metûs causâ inito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

fuisse manifestam ex eo, quòd revocatio ex ista omissione fa-
 succedentes molitores non am- cillimè à veteranis molitoribus
 pliùs ad hoc Juramentum Magi- colligi, ac rationabilissimè infer-
 stratus adigat. Potèstque hæc ri,

CASUS XXIX.

De Contractu dotali inter Conjuges metu à inito.

Medardus, postquam contraxisset Sponsalia cum Sempronia, & præmissis jam duabus denuntiationibus, circiter tribus ante celebrandas nuptias diebus cum Tutore suæ sponsæ incepisset agere de dote, contradote, & Societate bonorum inter futuros conjuges; invenit tutorem oppidò insolentem, in quantum iste assereret, vel pactum, quod ipse dictaverat incundum à Sponso esse, vel Sponsalia etiam jam factis duabus Denuntiationibus rescindenda. Sponsus nimio amore Sponsæ æstuans condixit invitis parentibus: hi autem, licet pactum propositum, à juribus quidem non reprobatum, suo filio autem non parùm damnosum agnoscerent, in illud demùm consensere, eò quòd rescissionem Sponalium, utpote toti familiæ in his circumstantijs oppidò contumeliosam expectare nollent.

Q. 1. Num contractus metu gravi, eoque injusto extorti jure naturæ valeant?

Q. 2. Num jure positivo?

Q. 3. Quid de metu levi extortis sentiendum?

Q. 4. Num inferens quidem metum injustum, sed levem in conscientia teneatur contractum rescindere?

Q. 5. Num contractus præsentis casus sit nullus, vel rescindibilis?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num contractus metu gravi, eoque injusto extorti, jure naturæ valeant?

1. Que occasione presentis controversiæ examinari possint, proponuntur.
2. Natura metus tam gravis quàm levis, justè ac injustè incussi explicatur.
3. Contractus incusso metu gravi extorti jure naturæ valent.
4. Commodum quod metum incutiens, ex vulpre talis contractus obtinet est modicum.
5. Si jus meum non sit firmum, quod est in meo dominio, restitui debet.
6. In quo sensu vim patiens dicatur rem tali sibi extortam habere in suis bonis.
7. Jus quod patienti metus competit ad rem alienatam, non impedit in metum inferente dominium.
8. Compossibilis est cum dominio obligatio restitutionis.
9. Qui rem suam promisit alteri, habet illius dominium cum obligatione eandem dandi promissario.
10. Rem taliter extortam expetere à metum passo vi contractus, non autem vi illatæ injuriæ deceptus poterit.
11. Potest aliquis ex uno capite esse obligatus ad aliquid, & ex alio deobligatus.
12. Cùm jus positivum ejusmodi contractus validos declarat, jure naturæ non erunt illi irriti.
13. Consuetudo, seu traditio Ecclesiæ, vota simplicia metu gravi extorta annullat.
14. Etiam contractus pure laici taliter extorti, subsistunt.
15. Ad perfectissimam, & nequam rescindibilem donationem absentia metus opus erit.
16. Quare solutio usurarum metu extorta sit nulla.
17. Natura sufficienter succurrit leso, quod suggererit rescissionem novi ejusmodi contractus.
18. Matrimonium gravi metu extortum non est jure naturæ irritum.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum,

Num Jure positivo?

19. Ejusmodi extorti contractus probabilis etiam jure positivo subsistunt.
20. Solvuntur quedam ex varijs sexibus Juris Civilis objici solita.
21. Qualiter metus involvat ignorantiam, explicatur.
22. Et quis sensus Reg. 116. ff. de Reg. Juris,
23. Non cuicumque dolo comparatur metus,
24. Firmus dumtaxat contractus parit obligationem extradendi.
25. Habens jus ad rescindendum contractum potest rem traditam clam suscipere.
26. Creditores antiquiores non sunt in tali casu preferendi metum passio.
27. Tali contractui obligatur in conscientia metum inferens, non autem passus.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid de metu levi extortis sit sentiendum?

28. Ex metu levi etiam injusto gestis valent.
29. Neque in foro externo rescinduntur.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Num inferens quidem metum injustum, sed levem, in conscientia teneatur contractum rescindere?

30. 31. 32. 33. 34. Proponuntur argumenta volentium ex tali levi metu gesta in foro conscientie esse rescindibilia.
35. Probabilis inferens levem metum non teneatur in conscientia rescindere talem contractum.

Eff 3

36.

36. Metum passio nullum damnum, sed sola injuria fuit illata.
37. Taliter enim donans non fuit invitus damnificatus.
38. Videtur tamen rescindibilis per sententiam Judicis Ecclesiastici.
39. Injuriam sibi illatam metum patiens contrahendo tacite condonavit.
40. Metus levis nequaquam dicens est, qui personam aliquam tam graviter perturbat, ac viram constantem perturbare assolet communiter pro gravi habitus metu,

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

Num contractus presentis casus sit nullus, vel rescindibilis?

41. Si contractus independenter à metu initus valeret, vi metus non foret nullus.
42. Neque ob metum gravem ab ipso sponso sine auctoritate Judicis rescindibilis.
43. Neque ob metum levem.
44. Nil facit ad rem, quod patientes metu compulsi consenserint.
45. Aut consensus sponsi fuerit secundum quid involuntarius.
46. Contractus iste neque in foro externo rescindetur.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An contractus, quem metus gravis, & injustè ad obtinendum consensum incussus extorsit, Jure naturæ valeat?

- O**ccasione hujus quæsitii examinari primum poterit, utrum contractus ex tali metu injustè ad illos obtinendos incussus sint validi. 2. Jure naturæ vel positivo? 3. Quid tenendum, si metus, quo extorti fuerunt, extiterit levis & non gravis, 4. Num levi metu extorquens contractum teneatur hunc rescindere? 5. Num in proposito casu aliquis metus gravis an levis fuerit injustè incussus, ut extorqueretur consensus.

2. Ut hæc omnia elucidentur. Sciendum primò ab Ulpiano *Le. 1. ff. de eo, quod metùs causâ definiri metum*, quòd sit instantis periculi vel futuri causâ mentis trepidatio: vel juxta alios: est passio & motus animi, imminens malum fugientis.

Sciendum secundò dividi metum in gravem & levem. ille est, qui cadit in virum constantem & fortem, quando scilicet malum ita percellit aliquem, ut, conditione personæ consideratâ, etsi alias hæc constans & fortis sit non facîle sit excutiendum: levis ex opposito est; cùm malum imminens leve est, in quantum hominem prudenter æstimantem & fortem nec concutere nec dimovere aptum est, metus gravis est vel talis, absolute, vel certo respectu absolute gravis dicitur, qui cadit in hominem constantem, seu quo malum timetur, quod etiam cordato & constanti videtur formidabile, metus respectivè talis est, quo malum timetur, quod homini cordato leve, metuculoso autem formidabile videtur.

Sciendum tertio utrumque hunc metum posse esse vel extrinsecum, quem scilicet causa quædam extrinseca libera incussit: vel intrinsecum, quem causa naturalis necessaria incutit independenter ab actu libero per modum naturæ. Quòd si malum à me alteri comminatum, huic justè possit inferri, timor ejusmodi justè incussus

fuert; injustè verò, si malum justè infligi nequeat.

Dico 1. Omnis contractus, solo fortè matrimonio & professione Religiosa exceptis, quem metus gravis etiam injustè incussus ad obtinendum consensum extorsit, jure naturæ est validus. ita communior, quam tenet Palao *tract. 1. de libert. pu. s. n. 4. citans Sorum Henriquez, Ledesma, item Thom. Sanchez l. 4. de matrim. disp. s. n. 4. & disp. 14. n. 2. Leslius lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 36. Azor, P. Lugo de Justitia disp. 22. à n. 115.* probatur, non obstante tali metu habentur tamen omnia ad validum contractum jure naturæ necessaria: ergo jure naturæ valet, prob. ant. ad valorem contractus jure naturæ duntaxat requiruntur justus titulus & voluntarius consensus: sed hæc adsunt. prob. min. metus non tollit absolute voluntarium; cùm coacta voluntas adhuc sit voluntas, neque titulum dati aut accepti excludit: cùm consensus jure naturali ad valorem contractus requisitus, etiam cum injuria consistat: consequenter datur titulus veri contractus, ergo &c.

Probatur 2. Si tales forent jure naturæ irriti, ratio foret, quia patienti metum fuit illata injuria, & hæc non potest parere jus; hæc ratio nulla est, prob. min. etiam levis metus est injuria, & tamen contractus taliter celebratus est jure naturæ validus: ergo &c.

&c. prob. ant. si contractus ex metu levi celebratus jure naturæ esset nullus, tunc in foro externo deberet declarari irritus: at non declaratur irritus *vi Le. vani timoris ff. de Reg. Juris* & *Le. metum ff. de eo, quod metûs causâ.*

Probatur 3. *Instit. de except. in princip.* definitur de omnibus contractibus stricti juris, quod sint validi & doli mali vel metûs exceptione elidendi, si metu vel dolo contracti fuerint. item *Leg. dolo C. de inutil. stipul. ibi: dolo vel metu adhibito actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit; per doli mali tamen vel metûs exceptionem submoveri petitio debet.*

Probatur 4. Optabilis est metum passio, ut jure naturæ metu injusto, & gravi extortus contractus valeat. Prob. si valet, tunc metum incutiens debet stare contractu; cum ergo possit contingere, ut expediat metum passio, noceat autem incutiens metum irritus contractus, ideo in tali casu proderit metum passio, quod si autem damnosus sit metum passio, ad remedium rescissionis recurrere poterit.

4. Ob. 1. Si valet, tunc metum, & mediante metu injuriam alteri inferens ex hac reportabit aliquod commodum: cum ergo hoc non sit justum, jure naturæ non valebit. R. dist. ant. reportabit commodum aliquod æstimabile, nego, exiguum duntaxat. concedo. eo ipso, quod teneatur inju-

riam illatam reparare, & hoc facere nequeat, nisi rescindat contractum, ideo exiguum reportabit commodum, quod si enim res adhuc sit integra metum patiens, exceptione potest uti, si non amplius sit integra, gestorum rescissio, & restitutio in integrum petenda erit.

Ob. 2. Contractus tali metu celebratus non transfert dominium: ergo non valet. Probatur consequentia. effectus contractus validi est translatio dominij: ergo si non transfert, non valeat. Antecedens primum etiam probatur: quod est in meo dominio, non debet à me alteri restitui: sed tali contractu acquisitum debet alteri restitui: ergo &c. R. neg. ant. in probatione distingo majorem. quod est in meo dominio, ita ut jus meum sit firmum, illud non debeo, alteri restituere transeat. Si jus hoc sit infirmum & oppidò debile; negatur Major, & sub eadem distinctione consequentia.

Urg. *Lege metum autem presen-6 tem §. licet ff. quod metus causâ.* Res alienata dicitur esse in bonis ejus, qui vim passus est: ergo alter non fuit factus illius Dominus. R. concesso antecedente distingo consequens: ergo alter non fit illius rei Dominus, si per verba plus aliquid significaretur, quam jus, quod habet vim patiens ad rescindendum contractum: concesso consequentiam. Si hoc jus tan-

tantum insinuetur neg. conf. quia scilicet habens actionem in rem : rem ipsam habere videtur *juxta regulam 1 s. ff. de regulis juris* ; ideo talis res dicitur esse in bonis vim patientis.

7 Urgent 2. Hoc jus metum patienti competens impedit dominium in metum inferente : ergo contractus fuit jure naturæ irritus. Confirmatur *vi Legis item si cum exceptione §. in hac actione ff. quod metus causa* , quando tali metu alienata res jam in quemcunque alium possessorem translata est , eam primus possessor sibi vindicare potest : ergo &c. *¶. neg. ant.* constat falsitas antecedentis manifestè in sponsalibus vi quorum sponsus habet jus acquirendi dominium per nuptias in corpus sponsæ , & tamen sponsæ competit adhuc jus in suum corpus ad tradendum hoc alteri per ipsum matrimonium , quæ ipsa responsio satisfacit confirmationi.

8 Urgebis 3. Gratis dicitur me habere aliquod dominium alicujus rei , si teneam illam iterum restituere : ergo non transfertur dominium. *¶. neg. ant.* dominium enim est detentio vi justo titulo , id est titulo à jure non annullato : *arg. §. per traditionem Instit. de rer. divis. §. Lege traditionibus : Cod. de pactis* ; atqui non potest afferri ratio probans ejusmodi titulum esse à jure naturali annullatum ; ergo &c.

Urgebis 4. Nemo habens dominium alicujus rei tenetur hanc adæquatè vel inadæquatè concedere : ergo &c. *¶. neg. ant.* si enim Dominus rem suam promittit alteri , tenebitur hanc alteri dare : quod ergo promissio acceptata efficit : hoc etiam præstat illata per metum injuria.

Ob. 3. Non potest Cajus recipere illam rem , quam ego illi ex metu promisi : ergo neque evadet Dominus rei , quam ex metu in illum transtuli. *¶. dist. ant.* non potest Cajus talem rem recipere ratione contractus mecum initi : nego antecedens , non potest recipere ratione injuriæ : concedo antecedens : & nego consequentiam , Cajus ratione contractus potest illam rem à me expetere : ego autem ob acceptam ex metu injuriam eundem repellere possum.

Urgebis 1. Ergo simul ac semel obligatus ero & deobligatus respectu ejusdem rei. *¶. dist. ant.* ergo obligatus &c. ex uno capite , & deobligatus ex alio : concedo , ero ex eodem capite obligatus & deobligatus , nego antecedens , sic possum ex contractu certam summam debere Cajo : quod si autem aliquod damnum debita à me summæ æqui valens ab ipso passus fuerim , in compensationem hujus damni debitum ex contractu summam retinere possum.

¶¶¶

Ob.

- 12 Ob. 4. Contractus tales nullo jure positivo irritantur, sed potius supponuntur irriti: ergo jure naturæ debent esse irriti. R. transeat antecedens, distinguo consequens: ergo jure naturæ debent esse irriti, si non haberentur textus, in quibus validi declarantur, concedo: si habeantur tales textus, negatur consequentia. Si aliqui textus nonnullos ejusmodi contractus agnoscunt validos, consequens est, quod injuria per metum illata, haudquaquam sufficiat ad illum jure naturæ annullandum.
- 13 Ob. 5. Vota simplicia per metum facta sunt irrita jure naturali: ergo &c. prob. ant. non potest ullum jus positivum assignari, quod irritaret ejusmodi vota: ergo si tamen sunt irrita. erunt irrita jure naturæ. R. neg. ant. in probatione nego antecedens; & dico hoc jus esse consuetudinem seu traditionem Ecclesiæ; quæ vim legis positivæ non scriptæ retinet.
- 14 Ob. 6. Saltem contractus lucrativi erunt invalidi, in quibus scilicet nihil rependitur: ergo &c. prob. ant. in his accedente metu non habetur titulus: ergo cum iste sit necessarius, nullus erit contractus. prob. ant. unicus titulus in contractibus lucrativis est liberalis & gratuita voluntas donantis &c. Atqui hæc voluntas non datur. prob. min. voluntas talis est coacta: ergo &c. R.

neg. utrumque. primum antecedens, in ultimi probatione nego antecedens & dico, voluntatem simpliciter voluntariam & liberam esse potius titulum, quod sufficienter ostendit *Lex, ultima Cod. de his, quæ vi. quæ non minus donationes quam transactiones & venditiones per potentiam extortas infirmari præcipit: ergo non sunt omnino irriti & tales, qui nulla infirmatione indigent.*

Urgent, in Lege Donationis §. 11 de donat. habetur donat. aliqui ea mente, ut statim vel accipienti fieri, & in nullo casu ad se reverti: & tantum ut libertatem & mansuetudinem exerceat, hæc verè donatio est: ergo ad veram donationem requiritur, ut absit metus; prob. conf. donans ex metu potius desiderat, ut res ad se revertatur: ergo &c. R. conq. textu dist. conf. ergo ad perfectissimam & non rescindibilem donationem requiritur, ut absit metus, concedo. ad minus perfectam & revocabilem, negatur. Dein distinguo pariter antecedens probationis ultimæ, taliter ex metu donans vult voluntate inefficaci tantum, ut sibi reddatur, concedo. vult voluntate simpliciter absolutè & efficaciter tendente, ut sibi hæc res restituatur, negatur. patet res in proijciente merces in mare ob naufragij periculum.

Urgent 2. Solutio usurarum id ipso jure naturæ est nulla, quia

deficit voluntas libera & titulus ad ejus valorem sufficiens: ergo requiritur hæc libera voluntas. *x.* ideo esse nullam, quia usura datur in pretium mutui; cum igitur mutuum non sit dignum ullo pretio, ideo deest ibidem titulus, neque adest titulus donationis, solvens etenim usuras non vult istas donare; sed tanquam debitum solvere: cum ergo nullum adsit debitum, non habetur titulus, consequenter non transfertur dominium

17 Ob. 8. Si talis contractus jure naturæ valet, tunc hæc non sufficienter impedijt, ne alter per injuriam aliquam obligetur: ergo &c. *x.* distinguo antecedens. Si illa ipsa natura non suggestisset media, quibus homines se mutuo ab iisdem absterrent, aut injuriam repararent per rescissionem

contractus, concedo, si hæc providit: negatur antecedens & consequentia.

Urgebis: sunt aliqui contractus, *18* v. g. matrimoniales irrefcindibiles: ergo saltem isti jure naturæ debent esse nulli. Probatur consequentia, aliàs non potest injuria illata reparari: ergo &c. *3.* concessio antecedente, nego consequentiam, in probatione concessio antecedente. nego, exinde sequi, quod sint jure naturæ irriti: nam sicuti per metum, ita quoque per dolum infertur illi injuria, qui fraudulenta simulatione divitiarum permotus duxit pauperem in conjugem, & tamen ejusmodi matrimonium non est jure naturæ irritum, quia autem tales contractus lege positiva irritabiles natura effecit, hinc licet ipsamet non irritaverit, jam tamen suo officio functa fuit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An Jure positivo contractus tali metu extorti valeant?

19 **D**ico 2. Contractus, & alios actus, qui metu injusto, & ad extorquendum consensum intento extorti fuerunt, si rescindi possunt, etiam jure positivo regulariter esse validos, rescissioni tamen esse obnoxios. Ita Sanchez *l. 4. de matrim. disp. 8. n. 4.*

Suarez *lib. 6. de voto: cap. 27. n. 17.* Valquez, Layman. Lugo *de Just. tom. 2. disp. 22. num. 118.* Lessius, Palao. Probatur. in varijs textibus tam Juris Canonici, quam Civilis dicitur, ejusmodi contractus esse à Jure infirmandos, invalidandos, & rescindendos: *Ggg 2* dos:

dos : atqui infirmari , invalidari , & rescindi tantum possunt contractus validi. Nam *Lege cause* 16. ff. de minoribus §. 3. *Juris-Consultus* inquit : *generaliter probandum est , ubi contractus non valet , pro certo prætorem se non debere interponere* : ergo supponunt non esse antecedenter infirmos , & nullos. major constat *ex cap. Abbas de his , que vi. cap. ad audientiam : eod. tit. dicitur*, quæ vi metusve causa fiunt , carere debent robore firmitatis , siquidem possunt , & debent rescindi. Præterea *Instit. de except. in princ. dicitur*, Si metu coactus , aut dolo inductus , aut errore lapsus stipulanti Titio promissis , quod non debueras promittere ; palam est *Jure Civili* te obligatum esse , & actio , qua intenditur , dare te oportere , efficax est. Item *Lege ultima Cod. de his , que vi habetur , venditiones , donationes , transactiones , que per potentium extortæ sunt , præcipimus infirmari*. & *L. interpositas Cod. de transact. L. dolo §. Cod. de inutilibus stipulationibus ex Leg. item si cum exceptione §. in hac actione : ff. eod. item L. 1. & L. metum q. §. 3. & 4. ff. hic : prætoriana æquitate restitutionem & res ipsam pollicetur adversus actum metu gestum*. Item *Lege si mulier 21. §. 5. ff. hic* pronuntiatur effici heredem , qui metu coactus hereditatem adit , restituendum tamen per prætorem esse addita ratione quia coactus voluerit , quamvis noluisse , si liberum fuisset ,

Prob. 2. Ratione. Si *Leges* Positiva ejusmodi contractum non faciant irritum , sed infirmandum ac rescindendum ad petitionem metum passi constituent. Tunc magis favent metum passo : ergo si nulla clara *Lex* annullans tales contractus afferri potest , defendendum est , quod jure positivo sint solum rescindibiles. *Prob. ant. hoc* supposito metum patiens potest agere ad impletionem illius , si judicet sibi utilem fore , & ad rescissionem , si judicet sibi damnosum fore : ergo &c. *Hau-nold. tract. 8. n. 155*

Hactenus dictis objicitur primo : *Lex prima Cod. de rescind. vendit.* in qua venditio metu extorta pro irrita habetur. ibi quod non bona fide gestum est , male fidei enim emptio irrita est. patet pro irrita habetur aditio hereditatis metu extorta *Leg. qui in aliena 6. §. 2. ff. de acquir. heret.* item *Lege qui in carcerem 22. ff. b. t. ibi* , qui in carcerem quem destruxit , ut aliquid ei extorqueret , quid quid ob hanc causam factum est , nullius momenti est : ergo ejusmodi contractus sunt jure positivo annullati.

ad 1. Textum : venditiones &c. habentur irritæ quoad effectum , in quantum scilicet tantquam obnoxie rescissioni viribus & firmitate carent : concedo. in alio sensu & quoad substantiam sunt irritæ. negatur. fundamentum sic explicandi legem præsentem

verba immediatè subsequētia, aditus itaque nominetuo præses provincie auctoritatem suam interponet. dein illa Lex est prima sub titulo de rescindenda venditione: ergo huic debet vel maximè congruere. item

27. potest 2. Ad alterum locum ex *Legē*: qui in aliena hereditate in aditam pro invalida ibidem haberi propter consensum solummodo factum, quem adiens hereditatem clam coram testibus manifestaverat. ita Glossa *V. salens*, Zæsius hic n. 6. & Bruneman in *Leg. qui in aliena citatum* n. 12.

27. 3. Ad *Legem qui in carcerem*: in memorato casu specialem exceptionem fieri, quia incarceration iniqua & mediante hac quædam per calliditatem & dolum detrudentis in carcerem extorta fuerunt, aut dari potest responso ad primum ex his textibus allata.

21 Ob. 2. Ubi defuit consensus, nequit esse validus contractus arg. *Leg. obligationem* 3. ff. de O. & A. sed hic defuit: prob. min. ubi datur ignorantia, ibi defuit consensus arg. *Leg. si per errorem* 15. ff. de *Juridict.* sed hic datur ignorantia: prob. min. datur hic metus, & metus arg. *Legis item si* 24. §. in qua actione 3. ff. h. t. habet in se ignorantiam. 27. dist. mai. ubi defuit omnis penitus consensus, nequit esse validus contractus: concedo, ubi defuit

consensus omnino spontaneus & simpliciter voluntarius, nequit esse validus contractus neg. Maj. & sic distincta minore nego consequentiam. ad probationem distinguo juxta datam legem, ubi datur metus, datur aliqua quæcunque demum ignorantia, vicujus nesciat metum patiens, quid agat: nego datur aliqua alia consensus non impediens ignorantia: concedo. ibidem solum statuitur, nihil referre, an metum passus sciat quis metum intulerit vel non; illius ratio assignatur; quia metus habet in se ignorantiam qua nesciat quis metum intulerit.

Urgent: *Regula* 116. ff. de R. J. 28 habetur, nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus hinc Alex. III. cap. cum locum 14. de sponsalibus: ait locum non habet consensus, ubi metus vel coactio intervenit. Respondeo distinguendo textum: nihil consensui spontaneo, & simpliciter voluntario adeo contrarium est, ac vis & metus: concedo, nihil consensui in ratione liberi ac voluntarij adeo contrarium est, nego textum.

Ob. 3. Dolus causam contractui dans hunc irritat: ergo etiam metus. Probatum consequentia: cap. cum contingat 28. de *Jurejur.* in jure dolus & metus æquiparantur. Respondeo transeat antecedens: nego consequentiam, in probatione distinguo, metus

Ggg 3

æqui

equiparatur cuiusque dolo etiam illi, qui circa substantiam contractus versatur, negatur. equiparatur illi dolo, qui salvo circa substantiam contractu errorem inducit quoad circumstantias, & actum relinquit validum, obnoxium tamen rescissioni, concedo antecedens, & nego consequentiam.

24 Ob. 4. Omnis contractus validus alienationis parit obligationem extradendi rem alienatam: atqui alienans ex tali metu non tenetur rem talem extradere: sed potest illam retinere: ergo &c. *ny. distingo* maiorem, parit obligationem talem vel firmam vel infirmam concedo. semper firmam, negatur. cum talis injuriam fuerit passus, ideo hæc læso actionem concedit rescindendi contractum, si hic sit absolute revocabilis: ergo non tenetur rem alienatam extradere.

25 Urgent: rem contractu valido alienatam non potest alienans de novo clam surripere: atqui taliter datum potest: ergo &c. *ny. dist. Maj.* non potest surripere, si nulum jus & actionem ad rescindendum contractum habeat, concedo. si habeat tale jus ob injuriam acceptam negatur.

26 Ob. 5. Si validus esset hic contractus, quando metum inferens haberet Creditores antiquiores & privilegiatos, essent isti preferendi metum passo in re per metum tradita, tanquam illi, qui metum intulit, propria: sed hoc est falsum: ergo &c. *ny. nego sequens*

lam. Ratio est, si jus dantis est resolutum, pariter est resolutum jus accipientis: sed quando rescinditur contractus ex tali metu irritus resolvitur jus dantis: ergo etiam jus accipientis: sed si accipiens nullum amplius habet jus, tunc etiam Creditores antiquiores nullum habent ulterius jus in illam rem; cum horum jus fundetur in jure ipsius accipientis: ergo neque sunt metum passo preferendi.

Ob. 6. Si talis contractus est validus, obligabit etiam in conscientia: hoc est falsum: ergo &c. *ny. dist. Maj.* obligabit eum, qui metum intulit, in conscientia, ut impleat contractum concedo; etiam illum, qui passus fuit ob metum injuriam: negatur. huic enim datur exceptio adversus eum, qui metum intulit, si hic impletionem contractus urgeat, ex quo sequitur, læsum in conscientia non esse obligatum ad impletionem contractus.

Urgent: si talis contractus est validus, fructus interim percepti non essent restituendi: atqui sunt: ergo &c. *ny. dist. Maj.* non essent restituendi, si non ipsa injuria per metum alteri illata obligaret ad reparandum omne damnum ex delicto proveniens concedo. si hæc ad ista obliget nego maiorem, & sic distincta minore nego consequentiam. si bona fide rem possedisset ad illos restituendos non obligaretur.

Dico

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An contractus metu levi extortus sit validus, & in foro
externo rescindibilis?

28 Dico 1. Contractus & cæteri
actus metu levi etiam inju-
stè ad extorquendum consensum
injustè extorti, sunt validi. Ita
docent Francus, Lessius lib. 2.
c. 17. d. b. 6. n. 46. Palao de li-
bert. disp. 1. pu. 12. n. 1. & hoc
teste Doctores passim.

Probatur conclusio ex Lege me-
tum: 6. ff. quod metus causa ibi.
metum vani hominis non esse spectan-
dum, sed eum, qui in constantissi-
mum cadit. Et Reg. vani timoris: ff.
de Reg. Juris. vani timoris nulla est
excusatio. Idem tradit Glossa in
cap. unicuique de his, que vi: in 6.
verbo subiacere.

Probatur 2. Ratione: contra-
ctus ex tali metu levi facti nec
jure naturali (uti patet ex dictis
de metu gravi) sunt nulli, nec
jure positivo quod levem metum
juxta citatos primùm textus vel
non reputat, vel non considerat.
vi Legis: continet 3. §. 1: Legis:
nec timorem 7, princ. ff. quod me-

tus causa: & Leg. 3. ex quibus cau-
sis major, in his locis dicitur edi-
cto illum tantummodo metum
contineri, qui in virum constan-
tem cadit: sed metus levis non
cadit in hominem constantem:
ergo.

Dico 2. Tali metu levi injustè
extortus contractus in foro exter-
no non est rescindibilis. Prob.
textibus LL. immediate superius ad-
ductis: & ex cap. 1. 3. & 4. de
his, que vi.

Prob. 2. Omnis metus levis,
quia est levis, à quolibet homine
cordato est contemnendus: er-
go non præbet sufficientem cau-
sam Judicibus eundem rescinden-
di.

Prob. 3. Plurimum Reipublicæ
nocet frequens contractuum re-
scissio: at foret frequens, si ob
levem metum in foro externo re-
scindi posset: ergo &c. Ut scilicet
occurat occasio quamplurimis litibus
præscindatur.

S. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An inferens metum, injustum quidem, sed levem, in conscientia ad illum rescindendum sit obligatus?

50 Quid tali levi metu gesta in foro conscientie nequaquam ita firma subsistant, ut metum in illis passus ad ea implenda obligatus sit, sed potius inferens damnum ad restitutionem taliter acceptorum teneatur, defendunt in *cap. verum 15. de Jurejurando*. Panormit. n. 3. Joan. Andr. n. 6. Alex. de Nevo n. 7. Sylvester v. metus n. 12. Sotus in 4. dist. 29. q. 1. Navarrus Manuel. cap. 17. n. 5. § 15. Covarruv. in Reg. peccatum p. 2. §. 3. n. 7. Molina tract. 2. de J. § 7. disp. 267. n. 5. Sanchez l. 4. de Matrim. disp. 9. n. 4. Palao de libert. tract. 2. disp. 1. p. 12. n. 2. Wieselner de ijs, que vi Sc. n. 26.

Hanc nullitatem sequentibus argumentis evincere conantur. Etiam inferens levem injuriam alteri non potest hanc licite continuare, sed tenetur hanc injuriam repellere, quantum potest: atqui incutiens levem metum intulit injuriam levem: ergo non potest istam continuare: sed non continuat, si rem taliter acceptans restituat, & contractum rescindat: ergo debet hoc facere, &

rem in pristinum statum restituere, relinquendo metum passio libertatem reprobandi, vel contramandi talem contractum.

Responderi ad hoc argumentum potest, negando suppositum quod hæc injuria ab initio illa continuetur, postquam timorem levem patiens hunc excutere potuisset, & tamen non excutit, sed contractum nihilominus iniit, volenti enim non fit injuria.

Urgent: est innegabile, quod quilibet habeat jus ne alius etiam levi quodam metu, se ad aliquid, quod ipsi est liberum, cogat: ergo levem metum incutiens violat alterius jus, consequenter inferit injuriam. n. transeat, quod intulerit injuriam, negatur autem, quod continuet, eo ipso enim, quod metum patiens hunc facile potuisset expellere, & non expulerit, ac contempserit, sed potius contraxerit, cessavit ipsa injuria.

Urgent 2. Tamdiu manet legitimum jus metum passio, quamdiu non reducitur in pristinum statum: ergo continuatur injuria. n. distinguo antecedens, quamdiu ip-

so invito non restituitur in pristinum statum; concedo: quamdiu ipso etiam consentiente non restituitur in pristinum statum: negatur; cum facile potuisset contemnere metum levem, non contemnendo consensit liberè, & spontaneè in contractum.

33 Eiusdem contractus nullitatem probant 2. hac ratione, qui secum contrahentem infra iusti pretij dimidium læsit, tenetur defectum pretij supplere in conscientia, vel rescisso contractu, quod accepit restituere, licet læso in foro externo denegetur actio: ergo idem in nostro casu dicendum, R. nego consequentiam. Disparitas est, quod licet prior pergat continuare damnificationem alterius: ergo semper obligatur ad suppleendum pretij defectum, vel ad rescindendum contractum: posterior autem, uti vidimus, non pergit continuare injuriam, quia hæc volenti fieri nequit.

34 Urgent: Etsi talis metus facile potuisset repelli, est tamen metum passo illata injuria: ergo forum internum ipsi est præsidio. Prob. jus naturale dicat, illatorem metus ad hujus remotionem obligatum esse. R. negando suppositum, quod injuria hæc continetur, prout responsio nostra superius data declarat.

35 Dico itaque 4. Probabilius metu levi extortus contractus ita est validus in conscientia, ut inferens metum non teneatur rescindere

contractum; consequenter patiens debeat hunc implere, nec ob impletionem jam factam occulta compensatione uti possit. Ita teste Palao nobis contrario. Joannes Medina Cod. de restit. q. 3. causa 2. versu fiat remissio. Basil. de Leoni l. 4. de matrim. cap. 10. n. 5. Illung. tract. 4. disp. 2. q. 6. art. 3. n. 353. Pontius l. 4. n. 5. de matrim. cap. 10.

Prob. concl. 1. Illa obligatio probabilis non datur, quæ foret causa innumerorum scrupulorum: atqui hæc foret: ergo &c. Prob. minor. Sapientissimè contingit, ut aliquis levis metus in contractibus ejusmodi interveniat: ergo si daretur obligatio restituendi, quæ sæpè esset difficillima, plurimis scrupulis & injustitijs causa daretur. Confirmatur, hæc obligatio inhæreret rei taliter acquisitæ, consequenter cum re transfiret etiam ad tertium: ergo si hic postea resciret, rem hæc per contractum levi metu celebratum ad suum antecessorem pervenisse, esset ille obligatus rem istam metum levem passo restituere, etiam non sine suo damno subinde valde magno.

Prob. 2. Ponamus, quod contractus cum levi metu celebratus sit magni momenti: vel ergo incutiens metum obligaretur sub gravi culpa ad rescissionem contractus, vel sub levi tantum? non sub levi, quia levis culpa non est proportionata obligationi rei magnæ restitutionem concernenti.

Hhh

Dein-

Deinde vel talis satisfaceret sua obligationi levi, vel illi non satisfaceret? si non satisfaceret; æquè parùm esset consultum injuriam levem passò per hanc obligationem levem injuriantis, quàm si illa non daretur: si verò prius: deberet levem injuriam inferens in effectu eandem difficultatem superare, quam superare deberet, si haberet obligationem gravem, resultantem ex illatione metus gravis; cum se ipsum spoliare deberet æquali bono, sive metus incussus fuerit gravis, sive levis: sed neque sub gravi obligandus erit; cum culpa commissa proportionetur quantitati incussi metus, & hic fuerit modicus & levis.

Prob. 3. Ante omnem eventum particularem videtur optabilius toti generi humano, ut ex metu tali levi non oriatur obligatio rescindendi ejusmodi contractum, quàm ut oriatur: ergo non datur in foro conscientie talis obligatio. Prob. antecedens. Ex una parte est difficilissimum spoliare se ipsum re sua, & bono magno jam acquisito ob culpam ejusmodi levem ex incussione metus levis extortam, præsertim autem est ex parte tertij, ad quem hujus culpæ ignarum ejusmodi res jam pervenit: imò hoc est difficilissimum, quàm ferre jacturam rei, quàm facile, si voluisset, potuisset retinere, consequenter spontaneè neglecto metu videtur ul-

trò dimisisse. Ex altera parte sæpius in contractibus levis quædam injuria in alterum contrahentem committitur; consequenter sæpius daretur occasio dubitandi, num talis injurians leviter non obligetur ad rem adeo cuiuslibet difficilem, si ob quamlibet levem injuriam contractus initus non valeret in foro conscientie: ergo ob bonum commune videtur natura talem deobligasse à rescissione contractus. Confirmatur, qui contrahit ob levem metum, debet potius sibi imputare subsequens damnum. Prob. alter non fuit sufficiens causa ad contrahendum impellens.

Præter allatas jam superius rationes, argumenta à nobis allata ita impugnant adversarij. Potest dici, quòd obligatio rescindendi contractum levi metu extortum sit gravis: ergo nulla est nostra secunda probatio. Prob. antecedens: plenè deliberatè damnificationi alterius nihil est magis proportionatum, quàm ut lædens obligetur alteri reparare damnum tantum, quantum illi sciens, ac volens, & quidem deliberatè intulit: ergo cum istud damnum fuerit magnum, etiam obligatio reparandi erit magna; cum proportionetur quantitati damni. In nego antecedens. In hujus probatione concessio toto Enthymemate nego suppositum, quòd aliquod damnum alter passus fuerit. Ponimus enim casum, quòd al-

ter solam hanc injuriam, nullum verò damnum fuerit passus.

37 Urgent: damnum, quod passus fuit, consistit in alienatione per donationem: v. g. suæ rei, quam alteri non donasset, nisi metu levi compulsus ad id fuisset. *n.* negando suppositum, quòd in vitus fuerit damnificatus: cum enim facillè potuisset repellere metum leuem, & non repulerit, spontaneè & simpliciter voluntariè consensisse præsumitur.

38 Ob. 2. Qui levi metu incusso læsus fuit, licet non habeat civilem actionem, & exceptionem metus, potest tamen implorare officium Judicis Ecclesiastici, qui deinde in odium inferentis metum ex officio succurrere tali læso potest: ergo talis contractus non est in foro conscientie validus, eò quòd ad mandatum Judicis ejusmodi contractum teneatur rescindere, ne commodum ex sua injuria reportet. *n.* concessio antecedente, nego, vel distinguo consequens: ergo non est validus, sed revocabilis ad petitionem & condemnationem Judicis obligantis ad rescissionem: concedo, non est validus, præcindendo ab hoc mandato Judicis: negatur, pluries contingit, ut aliquis post sententiam Judicis teneatur aliquid facere, quod ante hanc præstare non debebat. His accedit, quòd Palao *de libert. disp. 1. pu. 13. n. 2.* advertit, rarò metum levem

patienti subventurum esse officium Judicis, etsi posset, ne libitibus ostium aperiatur, & hanc rationem sufficere, ut Judices justè hanc levem injuriam permittant, cum prælaudato Palao defendit Basilius de Leonid. relato Paulo Comit. *l. 4. de matrim. cap. 10. in fine.*

Ob. 3. Equitas nequaquam admittit, ut aliquis ex sua injuria commodum reportet: atqui reportaret incutiens levem metum, si contractum taliter initum non teneretur rescindere. *n.* dist. Maj. ut aliquis commodum ex sua injuria reportet absque condonatione illius ab injuriato facta; concedo, si hæc injuria fuerit remissa nego majorem & sic distincta minore nego consequentiam, hoc ipso, quòd potuisset & debuisset contemnere levem metum, si hunc non contempsit, sed contraxit, præsumitur condonasse injuriam.

Ob. 4. Sapius metus levis non minus perturbat hominem, & nolentem ad consensum impellit, quam metus cadens in virum constantem: ergo eandem inducit obligationem. *n.* neg. ant. ratio est: quia si talis metus justè tam graviter perturbat aliquem, ac communiter metus extra controversiam gravis etiam virum constantem perturbare consuevit, eo ipso erit talis metus gravis saltem respectivè: gravitas enim metus accipienda est cum respec-

H h h 2

Et ad personam cui inferitur: ergo metus, qui propter effectiorem & dispositionem specialem talis personæ non minùs eam perturbat, quàm alius metus gravissimus perturbat virum constantem, non erit ille levis respectu illius personæ dicendus. Levem igitur metum hic dicimus, qui etiam habita ratione personæ, cui inest, non ita vehementer illam perturbat, sicut metus cadens absolute in virum constantem perturbare solet, sed tamen homo illi metui libere cedit, & de hoc judicamus, probabilius ex illo procedentem consensum non reddere contractum rescindibilem.

Quorum omnium ratio ultimata est hæc: ex levi metu inju-

ste etiam incusso obtentus contractus non rescindetur in foro externo, prout certum est ex citatis in hoc nostro casu superius textibus: ex altera parte in utraque partem probabilis est sententia utraque tam affirmativa quàm negativa: ergo in dubio non est spoliandus alter contrahens, scilicet incutiens metum levem, suo per hunc validum contractum obtento jure, quia certum est, quòd contractus & jure naturali & positivo valeat: insuper certum est, quòd in foro externo denegetur decepto actio: denique non certo ac efficaciter probatur, quòd in conscientia sit ab ipso decepto rescindibilis, cum rationes pro negante rescissionem sententia sint verè probabiles.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum:

Num contractus presentis casus sit nullus, vel rescindibilis?

UT denique ex hætenus disputatis ad resolutionem propositæ controversiæ transeamus, innuimus sponsum jam fuisse majorem, & plurimum quàm triginta annorum. insuper benè notandum judicamus, quòd sponsus amore suæ sponsæ permotus consenserit, consequenter si non

solus amor eundem ad hoc promovet, saltem etiam nec solus metus rescissionis, sibi & suis consanguineis contumeliosæ, consensum illum sponso extorserat. His & prioribus suppositis.

Dico 1. Supposito, quòd contractus iste in se spectatus & aliis liberè initus, à jure non fuerit possi-

positivè reprobatus, ex eo quod metu quodam extortus à sponso fuerit, non erat ille invalidus & nullus.

Probatur conclusio. Sive ponatur metus iste fuisse gravis, si-ve levis, si-ve justè si-ve injustè incussus, erit ille tamen validus; constat hoc ex dictis, ubi probavimus, metum etiam gravem nec jure naturæ nec jure positivo invalidare contractum.

42 Dico 2. Talem contractum non esse rescindibilem à sponso sine autoritate Judicis, probatur. neque est rescindibilis eò quod metus, quo videtur extortus, fuerat gravis, neque ex eo, quòd fuerit levis: ergo &c.

Quòd ille metus non fuerit gravis, probatur, si consensus in hunc contractum fuerat gravi metu extortus, tunc etiam matrimonium hoc gravi metu extortum erat, & consequenter nullum: sed hoc negant ipsimet: ergo &c. prob. maj. idem metus rescissionis familiæ contumeliosæ, simul impulit sponsum ad matrimonium ineundum, & ad contractum concernentem cætera, & eodem modo; quia videbat, non posse se unum consequi absque altero: ergo &c. Confirmatur: si alicui à Latrone miniretur mors: quando in uxorem suam filiam non duceret & omnium bonorum societatem cum hac iniret, metus iste indivisi-

liter compelleret ad utrumque: ergo & in priore casu.

Dices: ad matrimonium ineundum jam erat antea determinatus & liberrimè quidem ipse sponus: ergo non potest dici, quòd ad hoc coactus fuerit. *re. dist. ant. fuit ad matrimonium in alijs circumstantijs & sine his conditionibus ineundum determinatus: concedo, etiam in his & cum his conditionibus negatur, qui metu gravi compellitur ad ducendam ab alio corruptam, cum qua adhuc integra prius sponsalia contraxerat, ex omnium consensu coactè celebrat matrimonium: ergo non obstant priora sponsalia coactioni, si ob mutatas circumstantias jus desistendi ipse sponus obtinuerat.*

43 Sed neque ob incussionem levis ejusdem metus datur facultas rescindendi proprio motu hunc contractum, probatur, ut habeat jus propria autoritate rescindendi contractum validum, qualem metus relinquit, & alteram partem privandi suo jure acquisito, debet illi certum esse, quòd gaudeat hac facultate, quia in dubio est melior conditio possidentis, & nemo privandus est in dubio suo jure: insuper nullus debet esse Judex in propria causa: at-qui non est certum sponso, quòd habeat jus dissolvendi hunc contractum: ergo &c. prob. min. quòd metus levis efficiat contractum rescindibilem, non est certum,

Hhh 3

tum,

rum, cum plures Authores & ratio es probent contrarium: 2. Non est certum, quod metus levis saltem injustus fuerit incussus, & si hunc incussum ponamus, non constat, quod ex hoc secutus fuerit consensus & non potius ex nimio amore in sponsam: ergo &c. Quod non fuerit certo injustus, probatur, cuilibet est liberum sub his vel alijs conditionibus concementibus communionem bonorum inter conjuges inire matrimonium, etsi istas altera pars acceptare recusat à matrimonio contrahendo desistere: ergo, si hoc sponsa fecerat, usa fuerat jure suo, consequenter nullam injustitiam commisit.

Oppones: saltem non debuisset ad ultimum hoc tempus differre, sed antea agere cum sponso de similibus negotijs. Respondetur, ipsum sponsum sibi imputare debere, quod non antea sponsam, & tutorem illius de hoc monuerit, cum major prudentia viro, quam feminæ inesse videatur, consequenter hæc omnia fuerunt ipsi voluntaria.

Æquè dubium est, num ex metu potius, quam nimio amore sponsæ compulsus consenserit Medardus, quin ipsa substantia casus indicat, quod sponsus non ex metu, bene autem ex amore sponsæ consenserit in conditiones à Tutore propositas.

44 Sed dices: saltem ipsi parentes & reliqui consanguinei sponsi

ex hoc metu consenserint in hunc contractum, & valorem hujus conventionis nequaquam dependere à consanguineis parentibus &c. probatur, ipse sponsus jam erat major 30. annis: ergo non amplius subditus patrie potestati: ergo poterat de suis rebus ad arbitrium suum disponere irrequisitis imo etiam repugnantibus suis parentibus.

Dices 2. Innegabile est, quod non adfuerit perfecta libertas, dist. quod non adfuerit perfecta id est necessaria ad valorem contractus, ut hic subsistat, & propria autoritate à leso rescindi nequeat, nego. quod non adfuerit perfecta libertas hoc est absolute & perfecte voluntaria, carens omni involuntario secundum quid: concedo antecedens & nego consequentiam, ut subsistat contractus, nequaquam requiritur, ut neque secundum quid sit involuntarius: ergo ex hoc, quod adfuerit aliqua inefficax inclinatio in contrarium nihil inferitur.

Dico 3. Talis contractus, neque in foro externo à Judice rescindi poterit. probatur, in foro externo juxta superius dicta ob metum levem non rescinduntur contractus, Dein metus iste non fuit gravis, ac denique. 3. Nec constat sufficienter, quod sponsus non potius ex amore sponsæ, quam metu rescissionis sibi contumeliosæ contraxerit, & si ponamus ex metu consensisse, non con-

constat; quod hic fuerit injustus: ergo non potest rescindi; quia in dubio non licet Judici privare aliquem suo jure certo,

Quod non fuerit gravis; probatur, ut sit metus gravis, debet malum imminens esse magnum, & non facile avertibile ac evitabile à patiente metum: atqui hoc malum erat facillimè evitabile, probatur minor, malum imminens erat infamia, quæ toti familiæ ex rescissione sponsalium apud universam urbiculum imminebat, atqui hæc facillime poterat evitari,

si nimirum causa, ob quam rescissio erat facta, cæteris incolis significaretur: hac enim ratione totam & omnem invidiam uti etiam dedecus in tutorem fuissent derivata. 2. Hæc ipsa rescissio etiam sponsa fuisset contumeliosa: ergo par utriusque partis erat conditio.

Manet itaque contractum hunc, si seposito metu à juribus non fuerit reprobatus, vi metus, quem adversa pars incussisse falsò accusatur, nequaquam invalidum, aut rescindibilem fuisse.



CASUS XXX.

De Pactis Dotalibus.

FRANCISCA, cum vellet matrimonium cum FRANCISCO contrahere, in pactis dotalitijis exigit, ut si maritus ante se mortuus sine liberis fuerit, ipsa jus habeat succedendi in omnia bona defuncti; condicit sponsus cum patre, quin tamen reciproce ad talia obligata fuerit FRANCISCA.

Q. 1. Num hic contractus sit nullus ob suam inæqualitatem?

Q. 2. Si ista pacta mixta fuerint, an subsistant?

Q. 3. An valeant, si fuerint simplicia?

